Oratio XXXX.
Adolescentes esse ad academias mittendos.

Per multos fuisse etiamnum esse intelligo Auditores Humanissimi, qui
privatam institutionem in bonarum litterarum studijs anteponendam esse putent
idque argumentis ut apparet haud inanibus atque frivolis probant
dicunt enim maiorem atque potiorem rationem esse habendam morum quam
doctrinae, hoc autem in publicis scholis non fieri sed saepe optima ~~in-~~
~~genia~~ atque praestantissima ingenia corrumpi, et propter consuetu-
dinem et familiaritatem cum perversis et improbo ingenio adolescentibus
aliquando penitus pessum ire. Tum curam atque diligentiam Praeceptorum
admodum ob multitudinem adolescentum parvam atque exiguam imo vero
vel nullam esse. Deinde illos saepius cogi praeceptores suos mutare:
nulli itaque puerorum ingenium notius esse aut debere quam ipsis paren-
tibus, ac proinde a nullo rectius aut melius tractari posse quam ab
illis, imo et huiusmodi quam plurima argumenta adducunt, quibus hoc
loco ob brevitatis studium supersedendum esse arbitror, cum ego adductis
~~ent~~ enumeratisque argumentis satis superque, quae sit eorum mens, quis